

horum adplicatio, quæ sex digitis infra tumorem adplicanda scribit *Heurnius lib. de peste cap. 9.* Ejusdem sententiæ etiam est *Hieron. Fabr. ab Aquapend.* qui neglectâ purgatione, quâ valdè natura turbari possit, utilissimum censet, materiam venenatam ad talem attrahere partem epispasticis validissimis, ut sunt cantharides, succus tithymalli, ranunculus contusus & appositus; omnium tamen maximè laudo, *inquit*, flammulam, quia admodum attrahit & vesicas excitat, per quas venenum expurgatur.

Emplastrum detineri debet ad 6. vel 8. horas; tunc removendum, ne alia incommoda pariat. Imò cum natura inclinatur per se ad \square am, à cantharidibus abstinendum putat *Prevotius in prælect.* ne crudâ materiâ ad vias \square arias deductâ superveniat \square æ suppressio.

CAPUT X.

usum in infimi ventris & artuum morbis adnectit.

EXtenditur etiam vis vesicantium ad quosdam infimi ventris adfectus, quibus salutari sunt auxilio. Cum tutiora hæc pronuntiet *Rudius* paracentesi, ideòque in hydrope *Capivaccius præct. lib. 3. c. 19.* abdomini adponi posse docet.

Nùm *hydropicorum cruribus* tutò eadem adplicari queant? negat *Septalius*, qui nullos unquam quadraginta annorum spatîo, quo medicinam fecit, curatos vidit, quibus à medico vesicantia cruribus admota fuere, sed ferè semper gangrænas subsequutas curatu impossibiles, testatur *animadv. med. lib. 7. caut. 56.* Ait, nihil cruribus ab his periculi imminere, cum partes tantum superficiarias excoerent, ex *Capivacciò* notat *Rhodius in sepius cit. anal. ad Septal.* eâ tamen cum cautione, ne tumor œdematosus sit magnus, neque calor innatus multum debilis, & in principio, dum adhuc humor fluit, non autem, quando fluxit. Imò ipsa natura de evacuatione feri sollicita, nonnunquam vesicas producit & repræsentat in abdomine & in cruribus, per quas, tanquam ad hanc curationem conveniens adminiculum, liberare sese cupit, humorémque acrem & furentem evacuare.

D

Eva-